

## LIBER PRIMUS

*Liber primus Codicis proponit fontes juris in Ecclesia post promulgationem Codicis vigentis et normas generales de legibus. Agitur de normis generalibus et de legibus ecclesiasticis in titulo primo; de consuetudine in titulo secundo; de decretis generalibus et de instructionibus in titulo tertio; de actibus administrativis singularibus (sc. decretis, praceptis, rescriptis, privilegiis, dispensationibus) in titulo quarto; de statutis et ordinibus in titulo quinto; de personis physicis et iuridicis in titulo sexto; de actibus iuridicis in titulo septimo; de potestate regiminis in titulo octavo; de officiis ecclesiasticis in titulo nono; de praescriptione in titulo decimo; de temporis suppuratione in titulo undecimo.*

### *De normis generalibus (1-6)*

Ex divina et naturali institutione Ecclesia potestate legislativa gaudet, quapropter eius potestas independens est a qualibet alia societate, in specie a Statu. Ideo libere leges suas condere, promulgare et applicare valet.

Codicis praescripta unam Ecclesiam latinam respiciunt.

Liturgicae leges, quae ad celebrationem Missae, ad administracionem Sacramentorum Sacramentaliumque vel ad sacros ritus latius referuntur, vim suam servant nisi expresse in Codice corrigantur.

Codex nullatenus abrogat aut aliquid obrogat concordata inter Ecclesiam et Statum vel aliam civilem societatem; «eaedem idcirco perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus». Pariter iura quaesita et privilegia personis sive physicis sive moralibus concessa et non revocata, «nisi canonibus expresse revocentur».

Particulari modo, jus quaesitum idem est illud quod a personis acquisitum est, iam factum applicatione legum priorum.

Vigentes consuetudines, sive universales sive particulares, prorsus sopprimuntur si canonibus reprobatae; ceterae etiam abrogari debent nisi Codex expresse aliud caveat vel nisi centenariae aut immemorabiles sint vel de Ordinarii iudicio prudenter tolerari possunt.

Tantummodo vigentes consuetudines praeter legem, sive universales sive particulares, servantur.

ANNOTATIO: Canones non obligant Ecclesias orientales, quae pertinent ad Patriarcham costantinopolitanum, alexandrinum, antiochenum et hierosolymitanum, sed respiciunt tantum latinam Ecclesiam.

### *De legibus ecclesiasticis (7-22)*

Ad mentem Angelici lex est «ordinatio rationis ad bonum communem, promulgata ab eo qui curam communitatis habet» (*S. Theol.*, I-II, q90, a4).

Quia non concipiuntur obligantes nisi promulgatae, leges universales per editionem in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali promulgantur, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus. Leges vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die promulgationis, sed in ipsa lege brevior aut longior vacatio specialiter et expresse statui potest ex natura rei.

Leges particulares secundum modum a legislatore determinatum promulgantur et a promulgatione obligare incipiunt post mensem, nisi aliud in ipsis caveatur.

Per se et natura sua lex respicit futura, ideo nequit regere actum iam praeteritum; sed, si hoc in ea nominatim caveatur, ad praeteritos actus effectus etiam sese extendere potest.

Proprius et immediatus legis effectus est obligatio ad eius observantiam, sed tamen – praeter obligationem – lex potest ob bonum commune tum certos actus irritare tum certas personas habilitate ponendi actus iuridicos privare; unde leges in irritantes inhabilitantesque inter se distingui possunt. Lex irritans actum invalidum reddit; lex inhabilitans personam incapacem ponendi actum iuridicum reddit.

Legibus mere ecclesiasticis copulative tenentur qui habent:

1. Baptismum validum vel in Ecclesia Catholica recepti sunt;
2. Septennium expletum;
3. Usum rationis sufficientem.

Insuper leges ecclesiasticae in universales et particulares, territoriales et personales dividuntur: universalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt, sed eximuntur omnes qui locum tenent in certo territorio ubi non vigent; particularibus, sc. conditis pro peculiari territorio, tenentur ii qui domicilium vel quasi – domicilium habent et simul actu commorantur.

Nisi aliud caveatur, leges particulares territoriales praesumuntur; eis peregrinus non subiacet quamdiu a territorio absit, nisi transgredio noceat.

Vagi obligantur tum legibus universalibus tum particularibus, quae vigent in loco in quo versantur.

In foro externo ignorantia vel error legis irritantis vel inhabilitantis non excusant nec praesumuntur, nisi aliud expresse dicatur.

In dubio juris, quod respicit legis existentiam, sensum, vim et efficaciam, leges irritantes vel inhabilitantes non urgent.

In dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare dummodo agatur de legibus in quibus legislator dispensare solet.

Interpretatio authentica per modum legis eandem vim habet ipsius legis et promulgari debet; retrotrahitur si verba legis declareret.

Interpretatio extensiva, restrictiva necnon declarativa ex ipsa rei natura promulganda non est nec retrotrahitur.

Sententiae iudiciales aut actus administrativi in re peculiari vim legis non habent et ligant tantum personas; efficient res pro quibus datae sunt.

Leges ecclesiasticae intelligendae etiam sunt secundum propriam verborum significationem. Quodsi dubia et obscura significatio manserit, recurrentum est ad eandem materiam vel ad legis rationem vel ad mentem legislatoris.

Semper strictae subsunt interpretationi leges quae poenam statuant aut liberum iurium exercitium coarctant aut exceptionem a lege continent.

Dempto legis praecripto de casu concreto et particulari, norma sumenda est ex analogia legis vel analogia juris vel praxi jurisprudentiali. Si agatur de poenis applicandis, haec regula autem non valet.

Lex cessare potest per finis ademptionem vel per revocationem

a competenti Auctoritate vel per posteriorem legem vel priori directe contrariam.

Lex generalis posterior legibus particularibus non derogat, nisi aliud Codex expresse caveat.

In dubio praexistentis legis revocatio non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his conciliandae.

Leges civiles ad quas Codex remittit effectus serventur, nisi aliud jure canonico caveatur.

**ANNOTATIO:** Legibus mere ecclesiasticis tenentur qui baptizati sunt in Ecclesia Catholica, sufficienti rationis usu gaudent et septimum aetatis annum expleverunt. Praeterea novi sunt canones qui attinent ad legum particularium vacationem et ad legibus civilibus remissionem.

### *De consuetudine (23-28)*

Consuetudo definitur: jus moribus constitutum seu jus obiectivum non scriptum, diuturnis populi moribus introductum et legislatoris consensu firmatum.

Dividitur in consuetudinem «secundum legem» cum priorem legem praexistentem confirmat; «praeter legem» cum novam legem inducit seu ultra legem scriptam aliquid statuit; «contra legem» cum novam legem juri scripto oppositam inducit.

Consuetudo vim legis habet, quae non sit juri divino et canonico contraria.

Ad inducendam consuetudinem contra vel praeter jus requiritur usus per triginta annos continuos et completos.

Consuetudo contra legem, quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, firmata est si centenaria aut immemorabilis.

Consuetudo, quae optima legum interpres est, per contrariam consuetudinem aut legem revocatur.

Nisi aliud expresse caveat, lex non revocat consuetudinem centenariam aut immemorabilem; pariter lex universalis consuetudines particulares.

ANNOTATIO: Dispositio de tempore 30 annorum requisito, potius quam 40.

#### *De decretis generalibus et de instructionibus (29-34)*

Codex considerat: decreta generalia, decreta generalia exsecutoria et instructiones.

Decreta generalia proprie sunt leges, reguntur praescriptis canonum de legibus et exclusive a legislatore feruntur nisi in casibus particularibus. A lege differunt quia eduntur cum urget nimia necessitas et ad legis complementum (v.g. decreta Conciliorum particularium ex can. 445).

Decreta generalia exsecutoria legibus non derogant et a quibus potestate exsecutiva feruntur (v.g. decreta Vicarii generalis vel episcopalnis vel iudicialis).

Uterque actus cessat revocatione explicita aut implicita necnon abrogatione legis cuius ad exsecutionem datus est.

Instructiones praescripta legum declarant et pro eorum exsecutio- ne determinant. Legitime ab auctoritate exsecutiva eduntur et legibus non derogant.

ANNOTATIO: Vox «Instructiones» recens nata est in Codice.

#### *De actibus administrativis singularibus - normae communes (35-47)*

Actus administrativi intelleguntur illi qui ad ecclesiasticam gubernationem spectant.

Ideoque actus, scripto dati, ponuntur a legitimis in Ecclesia Superioribus, sive sint personae physicae sicut Romanus Pontifex, Episcopi eorumque Vicarii ac delegati, sive sint personae morales sicut Conferentiae Episcopales aut Consilium permanens episcopale eorumque organa.

Eorum interpretatio est secundum propriam verborum significacionem.

Actus carent effectu quatenus jura quaesita alterius laedunt aut legi vel consuetudini probatae contraria sunt.

Exsecutor actus administrativi exsecutionem denegare non potest nisi manifesto appareat eundem actum esse nullum aut alia ex gravi causa; ipse procedere debet ad normam mandati.

Revocatio per alium actum administrativum ex nunc effectum obtinet.

Actus administrativi sunt: decreta, praecepta et rescripta.

Rescriptis privilegia et dispensationes adscribuntur.

ANNOTATIO: Forma nova intromittit in Codice actum administrativum, quod «singulare» definitur quia a lege universalis differt.

#### *De decretis et praeceptis singularibus (48-58)*

Actus administrativi a competenti Auctoritate exsecutiva editi nominantur decreta, quorum decisio aut provisio pro casu particulari secundum juris normas dantur.

Decreto scripto expressos motivos ferre debet, si de decisione agatur.

In decretis inter se contrariis peculiare praevalet generali; si aequi sit peculiare aut generale, posterius tempore obrogat priori.

Decretorum effectus habentur a momento exsecutionis secus intentionis.

Desinunt legitima revocatione necnon «cessante lege ad cuius exsecutionem» data sunt.

Canon 57 addit: «Quoties lex iubeat decretum ferri vel ab eo, cuius interest, petitio vel recursus ad decretum obtainendum legitime proponatur, Auctoritas competens intra tres menses a recepta petitio- ne vel recursu provideat, nisi aliis terminus lege praesribatur».

Si decretum nondum datum fuerit, transacto hoc termine, responsum negativum praesumitur, sed Auctoritatis silentium non praeccludet ulterioris recursus propositionem. Etenim competens Auctoritas emittere decretum debet et damnum forte illatum reparare.

Praeceptum est quoque actus administrativus ad tempus vel in perpetuum singulis personis vel communitati datum ab Auctoritate exexecutiva pro bono communi et ad modum legis.

ANNOTATIO: Introductio in Codice notionis silentii et muneris ex parte Auctoritatis ut provideat ad decretum ferendum.

### *De rescriptis (59-75)*

Rescriptum est aequae actus administrativum, ad instantiam oratoris scripto datum, quo privilegium aut dispensatio aut alia gratia conceditur.

Rescripta dividuntur in generalia, particularia, mixta et iustitiae.

Praescripta rescriptorum se applicant ad «licentias», quae sunt actus elicti a diversa auctoritate exexecutiva.

Rescripti effectus habet a momento quo littera vel exsecutio data est.

Salvo iure S. Poenitentiariae pro foro interno, gratia ab una S. Congregatione Romanae Curiae denegata invalide ab alia conceditur sine assensu S. Congregationis denegantis. Pariter Ordinarius vel Vicarius generalis gratiam ne concedat nisi habitis rationibus a priore Ordinario denegante vel alio Vicario generali eiusdem Episcopi.

In rescriptis inter se contrariis peculiare praevalet generali; si aequae peculiaria aut generalia sint posterius tempore obrogat priori.

Rescripta ab Apostolica Sede concessa non ultra tres menses ab Episcopo dioecesano iusta causa semel prorogari possunt.

Nullatenus lex contraria rescripto nocet, nisi aliud caveatur in ipsa lege.

Rescripta cessant: conditione resolutiva, morte, renuntiatione impetrantis.

ANNOTATIO: Novus Codex «rescriptum» definit, in «licentias» praescripta rescripti extendit, discrimin inter inhabiles petentes non tenet, Episcopo dioecesano iusta de causa facultatem concedit prorogare non tamen ultra tres menses vim rescripti concessi.

### *De privilegiis (76-84)*

Privilegium est jus particulare certis personis, sive singulatim sive communiter sumptis, intentione benevola concessum per rescriptum a legislatore necnon ab Auctoritate exsecutiva cui legislator potestatem concesserit.

«Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii» Nisi contrarium probetur privilegium perpetuum praesumitur.

Privilegia sunt personalia, quae directe et immediate conferuntur alicui personae aut communitati; realia, quae directe et immediate alicui rei a qua in personam redundant; localia, quae personae conceduntur mediante relatione sua in qua v.g. tale munus gerit ad locum seu territorium.

Privilegium personale cum ipsa persona extinguitur; privilegium reale «per absolutum rei interitum»; privilegium locale per absolutum loci interitum, sed vero reviviscit si locus restituatur intra quinquaginta annos.

Privilegia cessant hisce modis:

- per revocationem ab Auctoritate competenti factam; minime vero per renuntiationem nisi a competenti Auctoritate acceptata.
- elapso tempore ad quod concessa sunt et expleto numero casuum pro quibus data fuerunt.
- propter abusum in exercitio.
- per tempora iudicio Auctoritatis competentis mutata ut privilegium noxium aut eius usus illicitus evaserit.
- per non usum aut usum contrarium si est aliis onerosum.

Persona singula renuntiare nequit privilegio concesso personae iuridicæ.

### *De dispensationibus (85-93)*

Dispensatio est relaxatio legis in casu particulari a competenti Auctoritate exsecutiva necnon ab quibus potestas delegationis compe-

tit ex iusta et rationabili causa facta.

Potissimum dispensatio differt a privilegio tum quia hoc est permanens et a rescripto tum quia hoc secundum legem operat.

Ordinarii locorum dispensare possunt in casibus particularibus et extraordinariis, non tamen in legibus processualibus aut poenalibus, nec in iis quae specialiter Apostolicae Sedi reservantur.

Dispensationem Sanctae Sedis reservatam Ordinarius concedere potest in mora periculi gravis damni et simul difficilis sit recursus ad Apostolicam Sedem.

Sine iusta et rationabili causa dispensatio illicita vel invalida est.

Potestas dispensandi etiam competit parochis, sacerdotibus et diaconis si expresse potestas ipsis concessa est.

Exercitium dispensationis valet extra territorium pro subditis absentibus et peregrinis in loco degentibus.

Dispensatio habens tractum successivum cessat iisdem modis quibus privilegium necnon cessatione causae motivae.

ANNOTATIO: Codex recepit omnes facultates a Sancta Sede Episcopis datas post Concilium Vaticanum II.

### *De statutis et ordinibus (94-95)*

Postremo in actibus administrativis adscribuntur statuta et ordines.

Sensu proprio statuta sunt ordinationes ad normam juris latae, quae fines constitutiones et regimina definiunt ut universitates sive personarum sive rerum agere possint. Statuta, vi potestatis legislativae condita, praescriptis canonum reguntur.

Ordines sunt regulae seu normae quas personae servare debent in conventibus necnon aliis celebrationibus.

ANNOTATIO: Codex introducit «ordines» in personarum conventibus.

*De personarum physicarum. Condicione canonica (96-112)*

In Ecclesia singuli personalitatem iuridicam obtinent per baptismum. Unde persona dicitur subiectus jurium et officiorum ecclesiasticorum capax, quae in ecclesiastica communione est.

Aetas magnum influxum habet in iuridicam personarum capacitem et ratione aetatis vero duplex est distinctio in personam maiorem, quae duodevigesimum aetatis annum explet, et in personam minorem, quae nondum dictam aetatem habet.

Infra septennium completum speciali nomine persona dicitur infans et censetur non compos sui. Expleto autem septennio usum rationis habere praesumitur.

Persona maior plena domina est suorum jurium.

Persona minor in exercitio jurium subest potestati parentum vel tutoris, iis exceptis in quibus lege divina aut jure canonico exempta est. Ad constitutionem tutorum serventur praescripta juris civilis, sed in certis casibus et de iusta causa Episcopus docestanus providere potest per nominationem alias tutoris.

Infanti aequiparantur qui usu rationis sunt habitu destituti.

Status iuridicus personae a loco ubi sedem habet maxime dependet.

Domicilium designat stabilem habitationem vel commorationem in paroeciae aut dioecesis territorio cum animo ibi perpetue manere aut per commorationem ad quinquennium completum protractam.

Quasi domicilium acquiritur commoratione ut supra aut per commorationem ad tres menses protractam.

Peregrinus adscribitur personae extra domicilium et quasi domicilium quod adhuc retinet.

Vagus qui nullibi domicilium habet.

Locus originis a nativitate dependet: unde locus originis filii etiam neophyti est ille in quo cum filius natus est domicilium aut quasi domicilium parentes habent vel in defectu habet mater. Religiosi et sodales societatum vitae apostolicae domicilium acquirunt domi cui assignati sunt; quasi domicilium domi ubi commorantur.

Coniuges commune domicilium vel quasi domicilium habent sed uterque ratione legitimae separationis vel alia iusta causa habere potest proprium domicilium vel quasi domicilium.

Domicilium vel quasi domicilium minoris subiecti parentum potestati vel tutelae aut curatelae consideratur locus habitationis vel commorationis parentum, tutoris, curatoris.

Quisque per domicilium aut per quasi domicilium suum parochum et Ordinarium sortitur.

Consanguinitas est propinquitas personarum quae ab eodem propinquo stipe per generationem descendunt.

In consanguinitate spectatur stipes, linea et gradus: Stipes dicitur illa persona a qua ceterae personae per carnalem generationem sive immediatam sive mediatam descendunt. Linea est ordinata series personarum descendantium ab uno stipe quae gradus et cognationes continet ac distinguit; linea collateralis obliqua est series personarum quae ab eodem stipe communem habent originem sed quarum nulla ab altera procedit. Gradus est mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea consanguinitatis.

In linea recta collateralı obligua tot numerantur gradus quot sunt personae seu generationes in utraque simul linea, stipe dempto.

Affinitas, quae duas familias consociat per propinquitatem unius coniugis ad consanguineos alterius coniugis et ex matrimonio valido oritur, computatur ita ut qui viri consanguinei sunt iidem affines mulieris in eadem linea et gradu et versa vice.

Jus canonicum autem comprobatur leges civiles quoad legalem cognationem sive adoptionem in filium personae extraneae.

Filius qui baptismum obtinet adscribitur in Ecclesia latina ad eius parentem pertinenti. Si autem alteruter parens ad eam non pertineat, concordi parentum voluntate in Ecclesia latina baptizetur; secus in patris pertinenti.

Libere baptizandus qui quartum decimum aetatis annum expleverit alium ritum religiosum eligere potest.

Baptismo recepto alii Ecclesiae rituali adscribuntur:

– quilibet ab Apostolica Sede licentiam obtinuerit.

– qui in matrimonio ineundo se transire ad Ecclesiam ritualem alterius coniugis declaraverit.

– filii, de quibus supra, ante decimum quartum aetatis annum itemque in matrimonio mixto, sed vero adepta hac aetate iidem redire ad latinam Ecclesiam possunt.

Mos diuturnus sacramenta recipiendi secundum ritum alicuius Ecclesiae ritualis non secumfert eidem Ecclesiae adscriptionem.

ANNOTATIO: Sodales ab Ecclesia latina discedentes iura et exercitia non possident. Praeterea notamus aetatis imminutationem pro persona maiore, facilem domicilii vel quasi domicilii adoptionem, novum canonem quoad religiosorum domicilium.

### *De personis iuridicis (113-123)*

Personae iuridicae seu morales definiri possunt entia iuridica cum capacitate juris acquirendi et exercendi, ex ipso juris praescripto constituta vel a competenti Auctoritate posita per decretum.

Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes ratione ordinationis divinae personae morales sunt.

Omnes societates seu universitates personarum aut rerum personae iuridicae sunt.

Ad quas constituendas requiruntur:

– Finis utilis qui attinet ad opera pietatis, apostolatus vel caritatis sive spiritualis sive temporalis.

– Media apta ad finem praestitutum assegnandum.  
– Associatio saltem trium personarum physicarum vel massa bonorum corporalium.

Ratione naturae dantur personae iuridicae collegiales, quae constant ex pluribus personis physicis, et non collegiales seu universitates rerum, quae complexum rerum requirunt.

Ratione originis sunt publicae, quae intra fines praestitutos nomine Ecclesiae proprium munus intuitu boni publici commissum explent; et privatae, quae a speciali competentis Auctoritatis decreto procedunt.

In exercitio jurium suorum personae iuridicae tenent particularia statuta a competenti Auctoritate ecclesiastica approbata et normas iuris communis. Possunt agere per personas physicas a quibus representantur. Omnia procuratorum acta fiunt in legitima coadunatione per suffragia membrorum et secundum statuti normas vel jus communne vel canones pertinentes.

Persona iuridica natura sua perpetua est.

Extinguitur tamen per suppressionem a legitima Auctoritate vel si per centum annorum spatum esse desierit. Persona iuridica privata insuper extinguitur per dissolutionem consociationis ad normam statutorum aut de iudicio Autoritatis competentis.

Proprie convenit coniunctio aut divisio.

Extincta persona iuridica, destinatio eiusdem bonorum iuriumque patrimonialium itemque onerum regitur jure et statutis, salvis voluntate fundatorum vel oblatorum et juribus quaesitis.

Extincta persona iuridica privata, bonorum destinatio regitur propriis statutis.

**ANNOTATIO:** Antiqua legum datio indiscrete personas iuridicas existimabat omnia entia seu societates, sed omnibus nondum hoc titulum tribuerat. Novus Codex statuit:

1. Omnes universitates seu societates personarum aut rerum iuridicae personae rationem habent;
2. Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent quia Ecclesia Christi se gerit in Catholica Ecclesia.

### *De actibus iuridicis (124-128)*

Omne factum quod effectum iuridicum producit est actus iuridicus.

Ad actum iuridicum tria spectanda sunt: natura, vitia et forma.

Duplex elementum requiritur ut actus sit validus nempe subiectivum et obiectivum. Ex parte subiecti postulantur ad validitatem capacitas agendi, voluntas et voluntatis manifestatio. Elementum

objiectivum a lege sola pendet et est scopus jure cuilibet actui assignatus est.

In manifestatione voluntatis actus generatim requiritur forma ad valorem necessaria. Deficiente uno ex dictis elementis actus vitiosus est. Actus vitiosus nullus esse potest cum actus consideratur ut non existens et inefficax ad effectum producendum.

Actus potest esse rescindibilis cum ex causis a lege determinatis impugnari potest, quod – si omittatur exceptio rescessoria vel remedium extraordinarium – actus validus sustinetur.

Validitati actus obstant vitia in consensu, nimirum eiusdem defec-tus, simulatio, vis, error, dolus, qui liberam eius determinationem impedian-t.

Cum jure statuatur ad actus ponendos Superiorem indigere con-sensu aut consilio alicuius collegii vel personarum coetus collegium vel coetum ipse convocare debet, nisi agatur de consilio aut consensu tantum exquirendo. Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris sine aut contra personarum consensum. Si consilium exigatur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis.

Quicumque alteri damnum infert per actum iuridicum, illegitime possum dolo vel culpa, obligatione tenetur damnum illatum repa-randi.

### *De potestate regiminis (129-144)*

Potestas regiminis sive iurisdictionis est potestas publica ecclesias-tica regendi subditos in ordine ad salutem aeternam, quae exercitari potest in foro externo et in foro interno seu conscientiae. Potestatis regiminis habiles sunt ordine sacro insigniti, sed in eiusdem exercitio christifideles laici cooperari possunt.

Potestas est ordinaria et delegata: est ordinaria quae ipso jure adnexa est officio; delegata quae commissa est personis. Iterum ordi-naria esse potest propria si nomine proprio exercetur et vicaria si jus nomine alieno datur.

Ratione speciei enumerantur facultates habituales a Superiore ecclesiastico concessae in perpetuum vel ad praefinitum tempus vel ad certum numerum casuum, quae reguntur praescriptis de potestate delegata.

Delegatus invalide agit si fines sui mandati excedat sive circa res sive circa personas, sed non intelligitur excedere si alio modo de mandato determinato peragit.

Praeter Romanum Pontificem potestate ordinaria gaudent Ordinarii sive Episcopi dioecesani aliique qui praepositi sunt etsi ad interim tantum Ecclesiae particulari sive per vicariam vicarii generalis et episcopalnis. Itemque Superiores maiores Institutorum religiosorum et Societatum vitae apostolicae iuris pontificii.

Potestas delegata delegari potest alteri ex toto vel ex parte ab illis qui propriam vel vicariam ordinariam potestatem habent.

Iurisdictio postremo distinguitur in legislativam, iudicialem seu contentiosam et exexecutivam seu administrativam.

Potestas exexecutiva ordinaria tantum delegari potest ex toto vel ex parte nisi aliud jure expresse caveatur. Exexecutiva praeterea potest ab Apostolica Sede ex toto vel ex parte subdelegari nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio expresse prohibita.

Potestas subdelegata iterum subdelegari non potest.

Circa plures delegatos ad idem negotium agendum Codex nominatim statuit in canonibus 139, 140, 141.

Potestas delegata exstinguitur expleto mandato, elapso tempore, cessante causa delegationis, revocatione delegantis, renuntiatione delegati.

Potestas ordinaria exstinguitur amisso officio.

Ecclesia iurisdictionem exexecutivam supplet pro foro tum externo tum interno, in dubio positivo et probabili sive juris sive facti.

ANNOTATIO: Laicorum delectio ad praestandam operam secundum jus in potestate iurisdictionis.

### *De officiis ecclesiasticis* (145)

Officium denotat quodcumque munus quod in spiritualem finem legitime et stabiliter exercetur. Eius obligationes et iura definiuntur sive ipso jure quo constituitur sive Auctoritatis competentis decreto.

ANNOTATIO: Nova est definitio de officii munere. Codex praeterea discrimen inter officii perpetuitatem et remotionem abrogat.

### *De provisione officii ecclesiastici* (146-156)

Provisio officii a legitima Auctoritate competenti fit per:

- liberam collationem;
- presentationem;
- electionem;
- postulationem.

Constitutio, innovatio et suppressio officii ecclesiastici ad competentem Auctoritatem spectat.

Officium cuius provisio fieri debet in scriptis conferendum est personis quae in Ecclesiae communione sint et praeditae omnibus qualitatibus de quo agitur; praesertim officium quod attinet ad animarum curam secumfert ordinem sacerdotalem. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt.

### *De libera collatione* (157)

Nisi aliud explicite jure statuatur, Episcopus dioecesanus in propria Ecclesia particulari libere concedit officium et personam cui titulus confertur designat.

### *De presentatione* (158-163)

Alius modus provisionis officii ecclesiastici est praesentatio quae definiri potest: actus quo qui jure praesentationis gaudet personam idoneam ad officium vacatum designat Auctoritati instituendam.

Generalis regula est: praesentatio fieri debet intra tres menses ab habita notitia vacationis officii.

Qui praesentatione gaudet designare potest unam vel plures personas, quae intra octiduum utile a peracta praesentatione libere consensum manifestare debet.

Si persona designata idonea non sit, qui non idoneum praesentaverit, alium candidatum intra mensem praesentare potest. Item si praesentatus renuntiet vel decedat.

Inutiliter elapso tempore utili praesentationis eadem libere pertinet Auctoritati cuius est institutionem dare.

### *De electione* (164-179)

Alia forma provisionis officii oritur ex simplici electione et electi acceptatione, si electio non egeat confirmatione.

Nomine electionis venit: admissio personae idoneae ad officium ecclesiasticum per vota collegii competentis facta.

Nisi aliud jure aut statutis collegii vel coetus caveatur in electione serventur praescripta canonica.

Forma electionis duplex est:

I. Per scrutinium, quando vota secreto et singillatim per schedulas scriptas exquiruntur;

II. Per compromissum quando electores transferunt pro ea vice jus eligendi in unam aut plures personas, quae vi huius mandati eligunt.

Si electio differatur ultra trimestre ab habita notitia vacationis officii, Auctoritas competens libere providere debet.

Convocatio electorum peragenda est a praeside collegii qui modum locum ac tempus electionis praefinire debet.

Nemo debet praeteriri: si plures quam tertia pars neglecti fuerint, electio est ipso jure nulla; si unus vel alter tantum, electio valet sed neglectus jus habet eamdem impugnandi intra triduum ab accepta notitia factae electionis.

Jure naturali vel ecclesiastico omnes habiles qui sunt de collegio jus eligendi habent in perpetuum vel ad tempus.

Quoad scrutinium, scrutatores colligunt a singulis electoribus secretum et liberum suffragium; omnia in scrutinio peracta accurate describenda sunt ab actuario in instrumento.

Electio per compromissum permittitur et jure vel statutis quandoque excluditur. Conditiones compromisso appositas observare compromissarii debent si juri non contrarias. Non impleta conditione apposita, quam ob rem electio nulla est, compromissum cessat et jus eligendi reddit ad collegium revocatione mandati.

Electio intimanda est electo, qui intra octiduum declarare debet utrum electioni consentiat an eidem renuntiet. Si electus renuntiet, collegium intra mensem ad novam electionem procedere debet.

Si electio egeat confirmatione, electus per se eam intra octiduum petere debet a competenti Auctoritate.

### *De postulatione (180-183)*

Postulatio est modus subsidiarius electionis et definiri potest: petitio electorum ad competentem Auctoritatem, ut ad officium ecclesiasticum admittat aliquem qui eligi non potest ob impedimentum canonicum quod tamen dispensari potest. Requiritur saltem duae tertiae electorum partes.

In postulatione est forma electionis vel compromissi.

Postulantes intra octiduum adire tenentur Auctoritatem, cui jus est confirmandae electionis. Auctoritas competens postulationem admittendi non tenetur.

Postulatione non admissa jus eligendi ad collegium vel coetum reddit.

Si electioni illius quem electores aptiorem putent impedimentum canonicum obstet, dispensationem postulare possunt electores a competenti Auctoritate, nisi aliud jure caveatur.

#### *De ammissione officii ecclesiastici (184-186)*

Amittitur officium ecclesiasticum per lapsum tempus praefinitum, expletam aetatem jure definitam, renuntiationem, translationem, remotionem, privationem.

Amissio notificanda est iis qui aliquod jus in officii provisionem habent.

#### *De renuntiatione (187-189)*

Omnes qui officium habent renuntiare possunt iusta causa et illud dimittere in manu competentis Auctoritatis verbis aut scripto.

Ad validitatem requiritur ut renuntiatio sit libera non ex metu gravi iniuste incusso, dolo aut errore substantiali procedens, absque simonia facta.

Ubi agatur de acceptatione, necesse est ut acceptetur ab Auctoritate intra tres menses; secus sortitur communicatione renuntiantis.

Quamdiu renuntiationis effectus sortitus non fuerit, renuntiatio revocari potest.

#### *De translatione (190-191)*

Translatio de uno in aliud officium legitime Auctoritate facta et imposita ex iusta causa scripto intimanda est.

Mutatio sine iusta causa facultatem translato tribuit ad contrarias rationes faciendas.

### *De amotione* (192-195)

Prudenti iudicio Auctoritatis necnon ex gravi causa amoveri potest ab officio omnis cui scripto amotio intimanda est.

Ipsò jure ab officio amoventur qui statum clericalem amiserunt, a fide catholica aut a communione Ecclesiae defecerint, et, si clerici sint, matrimonium attentaverint.

Tantummodo amotio non quidem ipso jure sed per decretum prospicit pro remoto alimenta per congruum tempus, nisi aliud provisum sit.

### *De privatione* (196)

Privatio infligi potest ob delictum expressum in jure et adhibenda est secundum praescripta canonum de jure poenali.

### *De praescriptione* (197-199)

Praescriptio est modus acquirendi jus reale aut perimendi aliquid onus elapso quodam temporis intervallo.

Requirit bonam fidem et recipit modum prout est in legislatione civili respectivae civitatis.

Res non praescriptibiles ex jure canonico:

- Quae sunt juris divini sive naturalis sive positivi;
- Quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico;
- Jura et onera spiritualia christifidelium;
- Fines certi et indubii circumscriptiōnum ecclesiasticorum;
- Elemosynae et onera Missarum;
- Officia ecclesiastica quae requirunt exercitium ordinis sacri;
- Jus visitationis et oboedientiae.

*De temporis suppatione (200-203)*

Magni momenti est distinctio temporis utilis et continui. Continuum enim nullam patitur interruptionem propter ignorantiam vel impedimentum. Utile contra non currit ignorantia vel impedito.

In materia ecclesiastica dies constat 24 horis, hebdomada septem diebus; mensis spatium designat 30 dierum, annus vero 365 dierum.

Dies a quo non computatur in termino; secus dies ad quem, nisi contrarium statuatur.